

CONCIO IV. AUCTARII.

summa potentia et majestate præditum, qui possit et animam et corpus mittere in gehennam. Hoc est, quod et Job timuit dicens: *Manum tuam longe fac a me (juxta Septuaginta: Tu solus manum tuam a me abstinence), in cuius conspectu non potero me abscondere*, Job XIII. De S. Romualdo scribit B. Petrus Damiani, in ejus vita apud Sur. 19. jan. quod quicunque peccatores, præsertim potentes sæculi in ejus præsentiam devenissent, mox vellent ante majestatem Dei tremefactis visceribus formidarent. Fassusque est Rainerius Tuscæ, in qua degebat Romualdus, marchio, qui consanguinei sui a se enecti uxorem habebat: *Quia non imperator, non aliquis mortalium tantum mihi metum valet incutere, quantum me Romualdi terret aspectus*. Ante ejus quippe vultum neque quid dicam scio, neque quibus me defendere valeam, ullas excusationes invenio. At hic tamen Romualdus non nisi homo erat. Quod si coram paupere eremita tremunt principes terræ; quid erit apparere coram Deo, judice universorum? Audite Isaiam, c. II. hac de re loquentem: *Introibunt in speluncas petrarum et in voragini terræ a facie formidinis*.

Domini, et a gloria majestatis, cum surrexerit percutere: et Apoc. VI. Tunc dicent montibus: Cadite super nos; et collibus: Aperite nos.

Non ergo metuamus hominum judicia, metuamus Christi judicium, a quo pendet salus nostra; dubia adhuc lance.

Hæc omnia, quæ diximus indicare voluit David, cum deplorans peccata sua, Ps. L. ait: *Tibi soli peccavi: tibi soli, quia tuam unius injuriam a me tibi factam plus doleo, quam si totum mundum offendissem: tibi soli, quia tu solus benefactor meus summus et unicus, a quo omnia mea habeo; cui ingratissimus fui: tibi soli, quia tu solus ex omni parte sanctus, omnium peccatorum hostis capitalis: tibi soli, quia tu solus judex meus: alium neminem timeo, nemini alteri subjectus; idem et nos dicamus una cum Davide: Tibi soli peccavi, Domine, et cum Magdalena stemus retro Christum, et confundamus de peccatis nostris, ut in gratiam recepti, cum ipsa in lucem produci a Christo mereamur, et audire: Dimittuntur tibi peccata tua, vade in pace.*

IN FESTO SANCTI JACOBI.

EVANGELIUM. MATTH. XX.

Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. Quid dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam et sinistram, non est meum dare vobis sed quibus paratum est a Patre meo.

CONCIONES.

- I. Ambitionis detestatio et remedia.
- II. Incitamenta ad virtutem scandam.
- III. Quid faciendum ei, qui vult ingredi regnum caelorum.
- IV. Mors alacri animo excipienda.
- V. Cur aliqui renuant libere calicem Domini seu tribulationis: refelluntur querelæ.
- VI. Documenta.
- VII. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Varii supplantatores.
- II. Qui male petant cum filiis Zebedæi.
- III. Boanerges, seu filii tonitru, quiet quando esse debeat.
- IV. Qui male vel bene suos ad honores promoveant.
- V. Qua ratione ad mortem quisque paratus esse debeat.

CONCIO I.

AMBITIONIS DETESTATIO ET REMEDIA.

I. Ambitio lapis. — II. Scorpio. — III. Serpens.

THEMA.

Nescitis quid petatis. Matth. XX.

Ne miremini, auditores, si duo illi apostoli aliqui Christo charissimi ejusque cognati, cum primos honores peterent, repulsam passi sunt, siquidem rem noxiā petierunt. Nemo tam crudelis pater est, ut alibi docuit Christus, qui filio porrigit lapidem, serpentem, scorponem; et si quid tale filii peterent, utique mox audirent: *Nescitis quid petatis*. Atqui ambitio nihil melior est lapide, serpente, scorpone; ut mox videbimus.

I. Lapidis instar onerosa est, quia curis, solitudinibus, et laboribus hominem obruit, ac pene opprimit. Sanct. Bernard. lib. III. de considerat. ait: *O ambitio ambitiosorum crux quomodo omnes torqueas? Nihil aurius, nihil molestius inquietat*. Lampridius Roman. historiarum scriptor eximius præclarum hujus rei exemplum adferit: « Ovinus Camillus, inquit, antiquæ familiæ senator homo delectissimus, rebellionem moliebatur, tyrannidem

affectans. Id cum Alexandro renuntiatum esset, statimque probatum, ad palatium vocato gratias egit, quod reip. curam, quæ bonis viris recusantibus imponi solet, sponte recipet. Mox ad se natum processit, ac tanti sceleris conscientia, trepidum consortem imperii appellavit; in palatium recepit, ornamenti imperialibus, et melioribus, quam utebatur ipse decoravit; profactionis comitem adhibuit. Cumque imperator ipse pedibus iter faceret, invitavit et Ovinium deliciis assuetum ad laborem, quem post quinque millia passum cunctantem equo sedere jussit. Quumque post duas mansiones equo etiam fatigatus esset, carpente imposuit. Hoc quoque respuentem ac imperium tædio laborum recusantem, denique et mori paratum dimisit, ac militibus, a quibus Cæsar præcipue diligebatur, commendatum, ad villas suas tuto abire jussit. Sic ille commonstravit quid esset gerere imperium. »

Bene ergo cura et onus regendi populum pondus vocatur Num. IX. a Moyse, qui cum a rebelli tumultante populo premeretur, dixit ad Deum: *Cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?* Intellexit hoc Carolus V. imper. qui Bruxellis principatum Belgii in filium Philippum II. deponens, cum lacrymis dicebat: *O fili magnum tibi onus*

Impone. Alphonsus Aragonum rex asinos aiebat meliores esse conditionis, quam sint reges; sicut illam illis clitellæ quandoque a dorso auferuntur, his nunquam. Expertus denique est Moyses in seipso nimis, dum populi importunitatem, murmur et rebellionem vix sustinere potuit, uti patet, Num. XI. et XVI.

Secundo, quia ut lapis pro pane porrectus et somestis non satiat edentem: ita nec honores quaesumque ambitiosum. Nota est Alexandri M. ambitio insatiable, qui cum inaudisset plures mundos, illacrymatus dicitur, quod nequid unius dominus evaserit. Postea ubi Persicae monarchiae potiundæ animum adjecisset, nullas omnino paucis conditions etiam æquissimas, a Dario Persarm rege propositas, admittere voluit, sed illi remaniari jussit: Se in Asiam non venisse, ab aliis acciperet sed aliis daret; et que mundus duos fere non posset, ita nec regnum duos reges; proinde aut imperata faceret, aut in crastinum bellum expectaret. Julius Cæsar ad summum dignitatem pervenerat, nec tamen quiescere potuit. Censuram postquam consecutus esset, cognomen patris patriæ affectavit. Quo obtento statuam inter reges locare contendit. Et hoc consecutus, sellam auream sibi in curia posuit. Nec his contentus, eo arrogantiæ processit, ut singula verba sua singulis leges esse voluerit. Insuper regis nomine et nulo delectabatur, nec coram senatu assurgere amplius voluit: denique, cum altius ire non posset, divinos sibi honores fieri voluit, Maiol. tom. IV. zanic. coll. IV. Bene igitur Seneca, in epist. hanc ejusque similes comparat ponderibus dejec- per præcipitium, quæ nequeunt consistere, donec jaceant.

II. Scorpionis instar sæva et crudelis est: ut enim scorpio ad ferendum et intoxicandum semper intentus est, caudamque ad hoc flectit: denique ex undecim quos signit, fetibus necem necat, et ut arbitrantur aliqui devorat, Plinio auctore, lib. XI. c. XXV. ita et ambitio sanguinolenta est, et cædibus etiam charissimorum sæpe ad dignitates sibi viam parat. Patet in Abimelech, qui ut imperium sibi super Hebreos stabiliret, interfecit septuaginta fratres super uno lapide, Jadic. IX. Vidithoc antiquitas in Ocho Persarum rego, qui, ut est apud Justinum, lib. X. cum fratres haberet centum et undecim ex iis octoginta interfecit: in Phraate Herodis Parthorum regis ex pelliæ filio, qui et patrem senem et triginta fratres interfecit, apud eundem, lib. XLII. Vedit et posterior etas in Turcarum Sultanis pene omnibus: in Amurath tertio, qui anno 1571. fratres natu minoris quinque interfecit et una cum patre suo Selimus secundo sepelivit. Selimus vero iste Soliman-

ni filius quinque suos tum fratres tum nepotes occiderat; eodem modo horum majores sævierunt in fratres aliosque propinquos suos. Similiter Muleasses Tuneti rex octavus, fratres partim contrucidavit, partim carenti ferro exoculavit. Ejus filius Amida duos item fratres oculis privavit, patrem ad necem quæsivit; unde is ad Carolum V. imperatorem in Germaniam profugit miser et ærumnous. Hæc et plura similia Bozzius, lib. XII. de signis Ecclesiæ, cap. VI. et IX. narrat. At vero quemadmodum scorpio ubi proles suas necavit, tandem et ipse a superstite una, quæ se a cœda matris tutata est, perimitur: ita ambitiosi illi, qui sanguine et cæde viam sibi ad imperia parant, misere tandem pereunt ab aliis interfecti, uti Abimelech fragmine mole a turri dejecto contritus, et Turcarum imperatores non pauci.

III. Serpentis instar primo lubrica est; facile enim de manibus elabuntur bonorum culmina et tituli, quod alibi compluribus exemplis demonstravimus; nec vero demonstratione indiget, cum passim id contingere soleat. Lepidum est, quod Robert. Holcot ord. Præd. in librum Sapientie, lect. XCI. comparat ambitionem seu honorum mundi fluxum equo joculatoris, qui a domino eductus erat genua submittere quoties ille dicebat: *Flectamus genua, et rursum surgere, cum subderet: Levale.* Accidit autem ut equus ille, qui nitidus erat, histrioni abducatur ab armiger, relieto et pejore, qui armigeri erat. Cujus rei certior factus histrio armigerum inseguitur, equum suum repetiturus. Armiger eo viso divertere volens, flumen equo trajicit. Ad suum vociferatur: *Flectamus genua.* Mox igitur in genua provolutus equus, sessorem mergit, seque eo liberat: tum audito: *Levate,* surgens ad dominum suum reddit. Ita prorsus cum ambitionis ludit mundus. Ubi enim illi honoris equum (qui: *Fallax ad salutem*, Psalm. XXXV.) considererunt, alii forte abactum, et aliquamdiu agitarunt: adest sæpe a tergo mundus et honorem suum repentes, sessorem cum ignominia deponit. Unde Boet. II. de consolat. prosa. II. ait ambitioso in persona mundi: *Ascende, si placet, sed ea lege, ut ne, cum ludici mei ratio postulat, descendere injuriam putes.*

Secundo, periculosa. Quemadmodum enim serpentem tractare absque noxa periculosum est: ita et honores. Demonstravit hoc Dionysius rex Siciliæ Damocli assentatori notissima illa stropha, dum ei regiam apparari mensam et sellam jussit cæteraque ad regium pertinentia convivium, interim e lacunari gladium fulgentem seta equina appensum demittit, ita ut impenderet ejus cervicibus, quo nimis illæ intelligeret, quid esset

vita regia. Demonstravit etiam eremicola ille apud S. Hieronymum, reg. monial. juveni cuidam cognato suo ad episcopatum postulato periculum dignitatis episcopalis, dum jussit illum super mensam altiore saepius se revolvere, non sine juvenis pavore et periculo: postmodum etiam latitudo in planicie diu voluntari; interrogans deinde ultra voluntatio fuerit securior. Instructus eo exemplo juvenis episcopatum velut fastigium periculo plenum refutat: postmodum defunctus instructori suo apparuit, gratias agens ac dicens: *Scito pater, quia nunc essem de numero damnatorum, si fuisset de numero episcoporum.* Quare non insultasse, nescio tamen, an ex animi sententia, dixit Demosthenes: Si duas viae objicerentur, quarum una ad honores summos, ad mortem vero ferret altera, hanc quam illam eligendam sibi potius. Hoc enim intellexerunt plurimi sancti, qui episcopalem aliasque dignitates omni conatu fugerunt, uti Sanct. Ambrosius, Chrysostomus, S. Gregorius Magnus, S. Augustinus, qui electi in episcopatum ex urbe fugerunt, S. Martinus, S. Malachias aliique, qui nonnisi coacti eum suscepserunt. Terribile est, quod S. Chrysost. homil. XXXIV. in epist. ad Hebr. ait: « Mirabile est, si salventur, multi prælatorum: et, in hom. in Acta: « Non temere dico, sed ut affectus sum ac sentio. Non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant. In causa est, quoniam rex excelsum requirit animalium. Multa enim habet causas, quæ depellant ipsum a suis moribus, et innumeris oculis illi unidine opus, etc. »

Quapropter quisquis ad honores et dignitates aspirat, cogitat imprimis se ambire onus grave angelicis humeris formidandum, et regimen animarum, de quibus rationem reddere Deo debet.

Secundo, ventum se esurire, quo nunquam satiabitur sed magis magisque ad esuriem accendet; sicut Lucifer non quievit, donec thronum Dei invaderet. Nam ut ait Seneca: « Ambitiosi non tamen jucundum est multos post se videre, quam aliquem ante se habere molestum, » ut in Aman patet, quem magis torsit unus Mardonius illi prælatus, quam omnes ei subjecti.

Tertio, quod ambitiosi perpetuis agitentur fluctibus velut æstu maris reciprocum tum ob multas distractiones, tum ob cœmulos, tum ob sollicitudines tuendi se, vel placendi aliis.

Quarto, cogitant illud Julii Cæsar: *Qui in excelso vitam agunt, eorum facta ob omnibus notantur.* Sunt enim expositi omnium invidiæ, censure, oblocutionibus, detractionibus, aliisque innumeris periculis.

Quinto, honores citato contabescere instar floris: unde Psalm. IX. *Perit memoria eorum cum sonitu.*

Sexto, ambitionem non venire solam, sed multis secum hospites eosque pravos adferre; si quidem non timet jus violare dummodo ad spectatos honores ascendat, quanquoque etiam in haeresis præcipitat.

Septimo, cogitant exemplum Christi, qui cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, factus humili et contemptus usque ad crucem; qui etiam Satanæ honores suadenti dixit: *Vade Satanæ:* et cum adverteret se a populo rapiendum et regem constituendum, fugit; denique, non ministrari, sed ministrare venit.

Octavo, magnorum magnam esse obligationem melius et perfectius vivendi, quam soleant cœteri homines. Ideo enim Sapiens, dixit: *Potentes patienter tormenta patientur.* Ideo tot sancti et quotquot sapuerunt, honores et dignitates velut præcipita fugerunt.

Noli igitur, ait Eccles. cap. VII. *quærere a Domino ducatum; neque a rege cathedram honoris.* Noli petere lapidem, scorpionem, serpentem. Nec enim quid petas. Vide potius ut bibas calicem passionis Domini, ut cum eodem a summo contemptu ascendas ad summam gloriam possis, quæ in cœlo, non in terra est.

CONCIO II.

INCITAMENTA AD VIRTUTEM SECTANDAM.

I. Virtutis pulchritudo. — II. Virtutis turpitudo. — III. Virtutis soliditas. — IV. Virtutis facilitas. — V. Exempla. — VI. Merces.

THEMA.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?
Matth. XX.

Non videntur adhuc tum Romæ fuisse filii Zebedæi, cum a Christo petierunt sedere ad dextram et sinistram ejus. Si enim Romæ fuisse, utique templum illud Honoris passim celebratum, aut vidissent, aut ingressi fuisse. Id vero, teste S. Aug. I. de civ. Dei ita constructum fuit, ut nemini ad illud pateret ingressus, nisi per templum Virtutis, quod ei in fronte adhærebatur: significabat autem non perveniri ad honorem, nisi per virtutem et laborem. Non videntur ad hoc attendisse filii Zebedæi, qui honorem petierunt, nulla virtutis aut laboris facta mentione. Idcirco eos Dominus ad virtutem ablegat: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Id ipsum autem et nobis omnibus certe certius dixisset. Quare

CONCIO II.

nemo sibi persuadeat, parari posse gloriam præsertim cœlestem, nisi per virtutem. Sed ardua est, inquis, virtutis via? Sedet enim in aspero et excelso monte, quo nonnisi continuo et diurno conatu perveniri potest. Fateor ita esse; sunt tamen alia permulta, quæ ad virtutem nos invitant, uti audiemus.

I. Virtutis pulchritudo. Ea enim est ex semetipsa talis, ut homines ad sui amorem trahat. Unde virtuosi tametsi nunquam visi aut cogniti, præ omnibus tametsi alii amantur, laudantur, suspiciuntur, honorantur etiam ab illis, qui reprobri sunt. Ita virtus Sancti Joan. Bapt. traxit homines e civitatibus ad desertum: virtus S. Bened. Totilam ad cellulam ejus. Antonium scribit Athanasius, in ejus vita, ob virtutis famam, notum undique fuisse Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiae, Illyrico, etc. et imperatoribus amicissimum. Similiter S. Hilar. licet per omnia deserta fugeret honorem et quereret nesciri, undique tamen ejus fama prodita est. Merito ergo Plato dixit (Cic. de off.) quod si corporeis oculis virtutis pulchritudo cerneretur, mirabiles sui amores in nobis excitaret: et Eurip. « Bonus mihi vir, nobilis videtur. Qui vero non est justus, licet a patre meliore quam Jupiter sit genitus, ignobilis mihi censetur. » Alphon. rex cum eo præsente commendarent aliqui virtutes et facinora Nicolai Picenni, unus vero imaginaria nobilitatis opinione inflatus diceret: « Hæc omnia aliquid essent si lanionis non esset filius, » subiecit: « Evidem malum Nicolaus Picennius esse, quam regum quorumdam filius, » Pan. I. de reb. ab eo gestis. Argumentum maximæ pulchritudinis est quando ea ad sui admirationem, amorem et imitationem trahit etiam oculos eorum, a quibus non diligitur. Atqui talis est virtus, siquidem erga virtuosos videamus etiam affici homines nefarios. Unde dicitur: *Bonus bonis et malis charus est: malus nec bonis nec malis.* Patet exemplo Herodis, qui cum esset incestuosus reverebatur tamen Joan. Bapt. et libenter audiebat, eoque auditio multa faciebat: idem exemplo Saulis, qui licet Davidi infensissimus esset, virtutem tamen ejus non potuit non prædicare: *Justior tu es quam ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala,* I. Reg. XXIV. Et quid multis opus? Quis non intelligit, quanto amarior sit patientia quam vindicta, mansuetudo quam iracundia, humilitas quam superbia, liberalitas quam avaritia, caritas quam invidia, temperantia quam gula et intemperantia?

II. Vitii turpido. Quantum enim placet virtus ei qui nondum valde corruptus est, tantum displicet vitium. Quam gratis est qui dotes et virtu-

tes suas silentio premit, laudes suas Deo fert acceptas, eaque extenuat, contemnit neminem; quia sincere agit et loquitur, idem ore et corde gerens neminem circumveniens; qui proximorum lapsus excusat aut occultat; qui continenter vivit et omnem lasciviam vitat; qui grata memoria recolit acceptum beneficium; qui urbanum ac mitem se præbet omnibus: tam ingratus vicissim est, qui sibi placet, se circumspicit, se suaque actat, vel mentitur, detrahens melioribus se, stricens innocentia calumniam; qui velut equus et mulus vivit in libidinibus; qui vel modicum offensus excedens, perstrepit et furias omnes invocat in ultionem, etc. Unde sicut Lacedæmonii ut adolescentes suos deterrent ab ebrietate, ebrium in medio constituebant, cujus pudendis ineptiis a simili vitio abhorrent: ita sibi quisque propone re deberet vitiorum turpitudinem, ad ea detestanda. Quin ita fœtent vitia, ut aliqui sanctorum tetrum eorum odorem sensibiliter percepisse legendunt, uti S. Birgitta vidua et S. Catharin. Sen nens. quæ ob id longiorem moram trahere cum peccatoribus non poterant. S. Hilarion fascem cicaris a monacho quadam furtive reservatum fœtere sensit et olfacere non potuit, quodque amplius est, in hujus rei confirmationem, misit eum coram bestiis, quæ et ipsæ horruerunt illa ciceraria, Hieron. in vita ejus. Hinc etiam fit ut ipsa vita lucem et diem fugiant, nec prodire velint nisi sub pallio virtutis, quasi sue se turpitudinis pudentat: hinc enim hypocritæ externam virtutis speciem præ se ferunt, cujus veritatem fugiunt, ad instar asini Cumani, qui reperta leonis pelle se vestivit, ut cum nec fortis esset nec generosus, tali saltem amictu appareret. Sic superbia prodit sub pallio humilitatis sæpe, ut in hypocritis; avaritia sub pallio prudentiae; invidia sub pallio justitiae; gula sub pallio civitatis et urbanitatis, etc.

III. Virtutis soliditas, quia sola beatum facit, et post obitum cum homine manet. Antisthenes dicebat virtutem esse armaturam, quæ detrahi non potest. Ensis enim et clypeus excutientur, non virtus, Laert. lib. VI. Alique sunt dotes qua comitantur hominem ad breve spatium, ut pulchritudo, sanitas, favor, amicitia, opes, honor: aliae usque ad mortem ut scientia, artes: sola virtus est, quæ cum mortuo etiam persistit. Unde illa Pythagoræ vox: « Divitiae anchoræ sunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidem, magistratus, honores, omnia hæc imbecillia sunt et viribus destituta. Quæ ergo anchoræ sunt firmae? Prudentia, magnanimitas, fortitudo: eas nulla tempestas agitat. » Sic ille. Et Plinius, lib. VI. « Ut ingentes, ait, obelisci magno negotio

IN FESTO SANCTI JACOBI.

81

statuuntur ob pondus, sed collocati semel infinitis durant sæculis, ita et virtus. » Edificat super arenam, quisquis non edificat super virtutem; veniet tempestas et disjiciet omnia, uti testatur Dominus, Matth. VII.

IV. Virtutis facilitas et suavitatis. Nam virtus rationi humanæ conveniens et connaturalis est: facilis autem est homini secundum rationem agere, quam contra. Quod si vitio naturæ difficilis facta est via virtutis, et montosa, ea tamen per gratiam Christi facilitata et complanata est, juxta prædictionem Isaiæ, cap. XLIX. Ponam omnes montes meos in viam et semitæ meæ exaltabuntur: et Joan. Baptista, Luce III. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Olim virginitas, continentia, innocentia, patientia, martyrium, inimicorum dilectio, mundi contemptus, etc. videbantur esse virtutes homini impossibilis, et quasi montes inaccessi; nunc per Christum ita plani et faciles facti sunt, et: Directa via, ita ut stulti non errant per eam, ut ait idem Isai. c. XXXV. Quod patet exemplo plurimorum. Quot enim stulti, qui propter Christum assumendo stultitiam, sancti facti sunt? Simon Salus, Jacobponus, Gonzalus Sylveria, Juniperus, Marcus Salus. Quot qui in conjugio virginitatem servavere? Henricus, Eduardus, Elzearius comes, etc. Quot passim extitere martyres? Quot adhuc mundi contemptores, etc.? Tu non poteris quod isti et istæ? ait S. Augustinus, in confessionibus.

Contra impii testantur, Sap. V. Lassati sumus in via iniurias et perditionis, ambulavimus vias difficiles, quia nimirum plenæ sunt viæ illorum difficultibus, curis, anxietatibus, remorsibus, et ducent ad perditionem. Ad hæc virtutes postquam sunt exercitæ, mirabile quoddam solatium et suavitatem post se relinquunt. Vitia vero mortuorum et penitentiarum aculeum. Et hic est gratus ille odor et color, quem relinquit in conscientia virtus; de quo S. Bern. serm. XVII. in Cantica ait: *Habent mores suos colores, habent et odores; colorem in conscientia, odorem in fama.*

V. Exempla quam plurimorum, qui nos in hoc virtutum stadio præcurrere. Themistocles dicebat excitari se subinde a somno trophyis Miltiadis cui successerat, quod ejus præclara facta secum reputans, multum angebatur, ne illius gloriam degener obscuraret. Simili modo excitare nos a somno ignaviae deberent ad virtutem secundam, tot sanctorum trophyæ, miracula, canonizationes, virtutes et vita sanctissima, veluti sanctorum, qui non ita pridem sanctorum albo adscripti sunt, S. Franciscus Romanus, S. Caroli Borromæi, S. Ignatii, Xaverii, Isidori, Philippi Nerei, Theresia, Elisabetha regina Portugalæ.

Miracula eorum, qui nondum canonizati sunt, Elisabetha bona, card. Bellarmini, Petri Canisii et aliorum, quorum multos recenset ex Bavaria Matth. Raderus, in Bavaria sancta et pia.

VI. Honor et merces virtuti decreta. Si enim Romani olim humanæ existimationis et umbratilis gloriæ nulla non pericula adierunt, bella difficillima gesserunt, in Olympiacis ludis decertarunt, etc. quanto magis excitare nos ad virtutem debet merces gloriæ cœlestis, quæ promittitur nobis? Taceo gloriam humanam, quæ etiam consequitur. Salomon quamdiu virtutem coluit, tandem glorus fuit, coram Deo et hominibus. Ast ubi illam deseruit vilis factus est. Unde Sanctus Thom. lib. III. de regim. princ. c. VIII. « Ex luxuria inquit, et idolatria factus est abominabilis populo suo, in tantum ut servi ejus rebellarent ei, diripientes spolia sue regionis, et vastantes terram absque resistentia aliqua, cum tamen prius omnes obedirent ad nutum, sicut testatur regina Saba, III. Reg. etc. » Sane filii Zebedei cupiditate temporanei honoris sessionis ad dexteram et sinistram Christi accensi nihil non subire parati erant, ideo promptissime responderunt: *Possumus, bibere scilicet calicem, quem bibiturus es. Cur ergo non et nos virtutis amaritudinem, si qua in ipsa est, hilariter degustemus? Quis non libenter frangit nucem ut potiatur nucleo.*

Quæ cum ita sint auditores, nulli rei ita studebant deberemus, ac virtuti. Ea enim sola coram Deo estimatur et ponderatur; ditissimus et potentissimus erat Balthasar: stateræ tamen divinæ impositus: *Inventus est minus habens, ut ait Daniel; quia nimirum sole virtutes apud Deum pondus habent. Quare non pro dignitatibus honore vel opibus certandum nobis est, si sapimus, sed pro virtute. Charilaus ethnicus homo erat; interrogatus tamen, quam arbitraretur optimam rem publicam, respondit: In qua plurimi cives de virtute inter se decertant circa seditionem, Plut. in Lacon. apophth.*

CONCIO III.

QUID FACIENDUM EI, QUI VULT INGREDI REGNUM COELORUM.

I. Pulsandæ fores. — II. Abjiciendæ sarcinæ. — III. Exauriendus calix amarus. — IV. Laborandum.

THEMA.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum! Math. XX.

Mirum alicui videri posset, cur Dominus in hodierno evangelio petitionem filiorum Zebedei ab-

nuat, imo et asperius respondeat: *Nescitis quid petatis?* Quid enim illi petierunt? Nonne bonam et salubrem, qualis est regni Dei possessio? Ad hæc nonne ipse Dominus dudum antea docuit et illos et nos orare: *Adveniat regnum tuum?* Verum ex sequenti Domini response facilius apparat, quam recte et convenienter Dominus responderit. Ait enim quærenda prius esse media, quam finem; quærendas prius alas, quam ad cœlos evolutum: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* q. e. vos de honoribus et coronis, inquit S. Chrys. ho. LXVI. in Matth. super hoc. evang. mecum agitis: *Ego vero de luctamine atque sudore dissero. Non præmiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modo apparebit: sed cædis ac periculorum tempus præsens est.* Ad eumdem modum dicere dux militibus triumphum ante victoriam canentibus, et de spoliis cogitantibus: Non est jam tempus cogitandi quomodo spolia dividenda, sed quomodo prius fortiter pugnandum et hostis superandus. Nos itaque hinc edocti, quæremus ante omnia, non quo in cœlo sedeamus, sed qua ratione ad cœlum perveniamus.

Illustr. card. Bellar. in I. de æter. fel. quatuor potissimum proponit cœli semitas: desiderium patriæ cœlestis, paupertatem spiritus, tolerantiam passionum et tribulationum, laborem et pugnam spirituale. Videntur autem haec semitæ non obscure judicari in hodierno evangelio primo, in petitione matris: *Dic ut sedeant filii mei in regno tuo;* secundo, in responsione Christi: *Nescitis quid petatis?* (temporale enim et terrenum tantum regnum expectabant); tertio, in illa propositione: *Potestis bibere calicem meum?* quarto, in ultima resolutione: *Non est meum hoc dare vobis; sed quibus paratum est a Patre meo,* q. d. laborantibus et certantibus. Igitur volentibus ingredi regnum cœlorum:

I. Pulsandæ sunt fores cœli instanter, hoc est, toto desiderio, præ omnibus aliis rebus quærendum est regnum cœlorum, ejusque cura omnibus rebus anteponenda. Docuit hoc Christus, cum dixit, Matth. VI. *Quærite primum regnum Dei, et iustitiam ejus, et hæc omnia adjicietur vobis:* docuit hoc idem, Matth. V. dicens: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur:* docuit id ipsum, cum, Marci VII. suspiciens in cœlum ingemuit, ad indicandum multis gemibus et toto corde suspirandum esse ad cœlum, veluti ad patriam et postponenda omnia alia tamquam in exilio constituta. Itaque in omnibus nostris actionibus prima nostra cogitatio esse debet, quomodo iustitiam Dei faciamus, et beatitudinem consequamur: ille nobis scopus est, ad quam actionum nostrarum sagittas collimemus:

hæc vero præmium, quod speremus. Quærere debemus regnum Dei et iustitiam ejus, sicut Israelites positi in captivitate Babylonica, quæreban reditum in patriam. Captivi illi de se dicebant: *Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion. In salicibus, in medic ejus suspendimus organa nostra,* Ps. CXXXVI. Unde rogati a Babylonis ut canerent in suis organis, responderunt, ¶ IV. *Quomodo cantabimus cantum Domini in terra aliena?* Similiter in hoc exilio constituti, si jubemur a mundo lætari, saltare, congregare, epulari, etc. suspirare ad cœlum deberemus et dicere: *Quomodo cantabimus in terra aliena.* Ad patriam tendimus, patriam quærimus. Ratio vero cur ita desiderare debeamus regnum cœlorum non est esca et potus, non est tam vile bonum, ut obtrudi debeat illis, qui ejus ademptionem rebus omnibus postponunt. Si enim apud Romanos olim candidati, qui magistratum aliquem petebant dexteras fautorum suorum sedulo prensare, quotidie salutare, deducere et sectari debebant, imo et congiaria dabant, prandia parabant, et munieribus dandis sèpe patrimonium absument, quo nimur optatam tandem dignitatem consequi possent, ut testatur Cicero, de petitione consulatus, Plut. et alii: æquum non erit, ut multo instantius desideretur et quæretur ante omnia regnum Dei et iustitia? An vero illi, qui ita vivunt, ut postrema eorum cogitatio sit, quomodo perveniant ad cœlum, neque aliud frigidius optent quam regnum Dei et iustitiam ejus: (quasi Dominus dixisset: *Quærite primum regnum mundi et versutias ejus, et regnum Dei adiicietur vobis)* de cœlo digni erunt? Annon stultum conferre alicui grandia dona, quæ contemnit et nugis suis posthabet accepturus? Hæc ergo causa est, quod evangelicus paterfamilias, audiens invitatos ad cœnam frivole se excusare, et potius nugas suas sectari videre scilicet villam, probare boves velle, tandem iratus dixerit: *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt gustabit cœnam meam,* Luc. XIV. Jam vero quid magnum hoc est aut asperum, desiderare vehementer et quærere super omnia regnum cœlorum? Quam beatos se reputarent pauperes, si id omne quod desiderarent et instanter peterent, consequi possent? Si esuriendo et sitiendo cibum, potum, pecunias, ita replerentur, ut saturati nihil ultra requirent? Non obtinebunt quidem hæc pauperes, quia hæc talia non sunt, quibus male uti nequeant. Regnum autem Dei et iustitia ejusmodi bonum est, quo nemo uti male potest, ideoque esurientibus et sitiensibus illud libenter a Deo datur: *Beati enim qui esuriunt, inquit, et sitiunt iustitiam quoniam ipsi saturabuntur.* Quid

igitur hic dicemus? Quis in judicio die poterit se excusare per ignorantium vel infirmitatem? Angelicus doctor D. Thomas rogatus aliquando a sorore sua, e quanam ratione salvari possit, respondit vir sanctus: *Si volueris salvabere, hist. Prædic. lib. III. cap. VII.* Quid magni est velle salvari? Hoc si serio volueris salvus eris.

II. Relinquende et abjiciendæ sunt sarcinæ, id est, affectus inordinati erga omnem creaturam et cupiditates rerum externarum. Docuit hoc Christus, cum dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum,* Matth. V. Quod non intelligendum, quasi præcipiatur nobis, ut arcam vel marsupium pecunias evacuemus, et cum Cratete philosopho opes nostras in mare demergamus, aut cum apostolo revera deseramus: sed ut cor nostrum ab affectu erga bona temporalia et cupiditate expurgemus, ita ut illis non afficiamur habitus, non anxiæ quæramus habendas, non valde doleamus perditas, ut facile demus indigentibus, neque in usum nostrum convertamus, nisi quantum exigit necessitas et honestas. Et hoc videtur voluisse Christus, cum dixit: *Pauperes spiritu, affectu videlicet etsi non effectu.* Docuit hoc idem exemplo suo Dominus, non tantum cum propter nos egenus factus est, sed etiam cum loculos habens commendavit eos Judæ velut dispensatori, quem sciebat inde furaturum. Hæc enim res ostendit quam liber esset Christi animus ab omni amore pecunia. Sic fuere pauperes non modo apostoli, monachi et eremitiæ, sed etiam (ut notat eo loco Rupertus) Abraham, Isaac, Jacob, qui divitias cum haberent, non amarunt. Et in lege nova Sanctus Ludovicus Francorum rex, qui licet dives esset, vulgari tamen vestitu utebatur, pauperibus largus, soli sibi parcissimus: jejunabat frequenter, nec legitur in ludos et convivia pecunias insumpsisse. Talis S. Gregor. pontifex, qui adeo prodigus erga pauperes, avarus quodammodo erga seipsum fuit, ut metas utrumque pene excessisse videretur. Talis e mulieribus Sancta Elisabetha regis filia et ducissa, quæ et ipsa ancillari habitu velut coancilla haberet a suis ancillis voluit in pauperes vero tam officiosa, ut propriis manibus eorum ulcera, fætores et sordes abstergere non dubitarit: S. Paula matrona Romana nobilissima sibi carnibus et ovis et vino interdixit, opes autem in extruendis monasteriis, et alendis pauperibus adeo consumpsit, ut in votis haberet, ad eam redigi inopiam ut funus ejus aliena misericordia curari oportet.

Ratio vero cur ita evacuare cor debeamus est, quia impossibile est servire Deo et mammonæ, amare cœlum et terram, duobus adversis domi-

nis idem cor donare. Hæc enim est amoris natura, ut dividi seu distrahi in diversa nequeat, sed unius tantum sit. Unde si cor tuum amore mundi occupatum sit, non poterit ibi habitare Deus: sin vero ab amore mundi fuerit evacuatum, replebit illud Deus cœlo, quia uti in naturalibus, ita et in supernaturalibus non datur aliquod vacuum. Quamdiu vidua illa porrexit Eliæ vacua vasa, tamdiu fluxit oleum et replevit illa: ubi vero impleta fuere, stetit oleum, IV. Reg. IV. Sic animum amore mundi repletum, nequit Deus replere cœlo, deinde amor mundi et bonorum ejus retrahit a cœlo, quemadmodum regius cultus et calcei tenuerunt sub porta Heraclium imper. quando crucem Domini a Chosrho recuperatam suis humeris offerre conabatur ex urbe Jerosolyma in montem Calvariæ. Sentiebat enim se retrahi et teneri, licet a quo nesciret. Unde monitus a Zacharia pontif. ut regium poseret cultum, Christi paupertati parum convenientem, et calceos exueret, eo facto, non difficile reliquum iter confecit. Simili ergo modo retinet mundi amor ipsos amatores ab ingressu cœli impeditque a comparatione verarum divitiarum, quæ sunt merita regni cœlestis: *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in tentationem et laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt hominem in interitum,* ait apostolus, I. Timoth. VI. Deponendus itaque hic cul tus, si cœlo inferre pedem volumus.

Hoc vero si difficile tibi videtur, mitte in unam lancem bona, quæ deseris præsentia, in alteram vero bona, quæ promittuntur futura; et pondera sic utraque, bona mundi, quam sunt exigua, quam inania, quam permixta malis, quam fluxa et fugacia. Bona vero cœli Scriptura clamat esse immensa, plena doloribus et curis vacua, nunquam interitura. Ac si quidem re ipsa relinquere oporteret mundi bona, esset forte id aliquantum; sed cum tantum id a nobis requiratur, ne amerimus ea, ne iis serviamus, sed dominemur, ne iis oneremur, sed potius exoneremur; quid asperum aut difficile nobis imperatur? *Itaque delicatus es frater charissime,* ait S. Hieron. in reg. monach. XIX. si hic vis gaudere cum seculo, et ibi regnare cum Christo.

III. Exhauriendus est calix vino absinthiaco repletus. Hoc proposuit nobis Dominus in hodierno evangelio et dudum ante Matth. V. cum dixit: *Beati qui persecutiones patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Neque vero persecutionem intelligit, qualis primis Ecclesiae temporibus sœvit in Christianos, sed quacumque afflictionem, cuiusmodi persecutio ubique invenitur, in domo, in via, in fore, in

CONCIO III.

templo, in mensa, in lecto, etc. Ubique enim mali impugnant bonos, et certissima est apostoli sententia, II. Timoth. III. *Omnis qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Neque vero tolerare tantum debemus has persecutions, sed libenter tolerare adeoque gaudere in illis. Hoc enim sibi voluit Dominus, cum tribulationem et passionem calicem appellavit. Ut enim potus cum suavitate et appetitu bibitur, sic amplectendum voluit tribulationem, non ut tribulationem sed ut materiam gaudii: quam quidem ipse Christus desideravit et obviis ulnis amplexus est. Secuti sunt apostoli: inter alius Sanctus Jacobus, qui eum, a quo ductus ad tribunal fuit, ad fidem conversum et veniam petentem humanissime amplexus et deosculatus est ac dixit: *Pax tibi sit.* Denique, quotquot ad illam gloriam feliciter appulerunt, per multas tribulations eos devenerunt.

Ratio est, quam dat illustr. Bellarm. I. I. de ætern. fel. cap. IX. Cœlestis civitas aurum est mundum, simile vitro mundo: *Non intrabit in eam aliquod coquinatum aut abominationem faciens,* ut ait S. Joan. cap. XXI. Apoc. Jam vero tribulatio proprie fornax est, quæ purgare solet animas ab omni immunditia. Ut enim ignis coquit cibos crudos, purgat argentum, et probat aurum, sic etiam persecutio, si patienter toleretur, coquit peccatores, purgat imperfectos, probat perfectos: peccator est quasi caro cruda, quæ nisi rite coquatur, projicitur ad bestias, non comeditur ab hominibus. Est enim peccator malis humoribus plenus: concupiscentia carnis, quæ est luxuria: concupiscentia oculorum, quæ est avaritia: et superbia, quæ est ambitio. Sed si accedat fornax persecutionis, illo igne siccatur et coquitur, ut fiat idoneus, qui ad mensam Domini honorifice deferatur. Ingruente siquidem persecutione vel tribulatione gravi, obliscitur libidinum, lucrorum, ambitionum, incipitque omnino aliis esse, quam ante fuerat: ut cum fur incareretur, torquetur, condemnatur, vel cum quis in morbum vel paupertatem incidit. Homo vero justus sed imperfectus, quamvis non labatur in horrenda flagitia, tamquam amicus est carnis sua, sequitur voluptates, amat lucra, non abhorret a vanitatibus mundi. Itaque similis est argento scoria multam habenti admixtam. Sed si fornax magna persecutionis illum corripuerit, eamque is patienter tulerit, incipiet paulatim ab argento scoria separari: incipiet inquam intra se colligi, meditari quæ sursum sunt, abstinere a carnalibus desideriis; deinde: *Sobrie, juste et pie vivere in hoc sæculo, et expectare beatam illam spem et adventum gloriæ magni Dei.* Denique, vir

perfectus in charitate, aurum est, sed probandus igne persecutionis, ne putetur ab aliis vel etiam a seipso aurichalcum esse non aurum: ubi enim ignem persecutionis patienter ferre conspicitur, non solum ab aliis cognoscitur esse qui est, sed ipse quoque erigitur in spem magnam, et secundum mercedem illam cœlestem expectat: *Tribulatio, inquit apostolus, patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.*

Quæ si bene perpendamus, grave nobis non erit aduri in hac fornace. Quid enim est hæc fornax respectu illius superne civitatis, in qua collocandi sumus? *Id quod in præsenti est momentaneum,* inquit apostolus. II. Cor. IV. *et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quid est hæc fornax respectu illius fornacis gehennalis? Fornax enim tribulationis suum habet refrigerium et brevi tempore durat: fornax autem inferni ad instar fornacis illius Babylon. Dan. III. succensa est nimis, cuius flamma effundebatur supra fornacem quadraginta novem cubitis. Cum enim numerus quinquagenerius, numerus sit remissionis, et flamma illa ad hunc numerum non pertingerit, quid aliud designavit quam æternum gehennæ incendium, quod ad nullam unquam pertinet remissionem?

IV. Laborandum et pugnandum. Hoc enim Christus docuit, Matth. XI. dicens: *Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud,* q. d. cœlum instar castelli est munitissimi et altissimi, quod non nisi magnis conatibus expugnari et diripi potest: itaque scalæ primum asportandæ, et aggeres ergendi, postea muri scandendi et contra hostes ingressum impedientes dimicandum. Utrumque hoc aptissimis parabolis depinxit Dominus, Luc. XIV. de eo, qui vult turrim ædificare, et non habet ad perficiendum; et de rege, tui cogitat bellum gerere adversus alium regem, et non habet pares vires, ut cum spe victoriae possit illi occurtere. Utrumque enim præstare debet, qui regnum cœlorum expugnare cogitat: nam et turris ædificanda est, quæ pertingat ad cœlum, id est, merita comparanda, quæ vitam æternam promerentur, et simul pugnandum est cum hostibus plurimis et fortissimis, spiritibus videlicet immundis, qui toties viribus turris illius ædificationem impedit moluntur. Cujus rei figura præcessit in filiis Israel, qui cum Jerusalem a Chaldaëis dirutam atque eversam redificare vellent, et a gentibus vicinis bellantibus impedirentur, necesse habebant incredibili sollicitudine et labore una manu ædificare, altera præliari: ideo una manu faciebant opus et altare tenebant

IN FESTO SANCTI JACORI

gladium, II. Esdr. IV. Præivit nobis in utroque Christus, et in laboribus a juventute sua, et in prælio contra diabolum. Sicut apostoli, martyres et confessores, qui omnis generis machinas excogitarunt et applicarunt ad cœli expugnationem.

Ratio, cur pro cœlo laborandum et pugnandum sit est, quia ex Dei et hominum universali decreto: *Qui non laborat, non manducet: nec coronaabitur, nisi qui legitime certaverit,* ut ait apostolus, alioquin et imperfectum foret sanctorum gaudium, et si pro sua gloria nihil laborassent, nec fortiter pugnassent, cum potuissent. Quis enim nescit majoris esse gloria, si quis ob præclara gesta, et egregias virtutes et regiam dignitatem ascendet, quam si eamdem hæreditario jure acquirat? Unde Dominus, Luc. XXIV. monet, ut invitati ad nuptias non recumbamus primo loco, sed potius in novissimo: *Ut cum venerit, qui nos invitavit, dicens: Amice ascende superius. Tunc erit tibi gloria,* inquit, *coram simul discubentibus.* Ita ergo si per humilitatem aliasque virtutes sessionem in cœlo honorificam consequamur, tunc erit nobis gloria. Itaque si in cœlo pulchram et magnificam habere domum volumus magna nostra gloria, eam nobis ipsis bonis operibus extruamus, quomodo S. Deus dedit sutoriam exercens, cui, quod lucrum totius hebdomadis in sabbatis communicabat pauperibus, vidi quidam alios structores quosdam singulis sabbatis operari in extirpatione pulcherrimæ in cœlo domus, apud Greg. I. IV. dial. c. XXX. Si coronari volamus, legitime certemus contra nostra vitia, mundum, carnem, dæmonem.

Veniet aliquando tempus, cum apertissime videbimus nihil adhuc fuisse certaminis hujus laborem cum corona comparatum.

CONCIO IV.

MORS ALACRI ANIMO EXCIPIENDA.

I. Quia liberat a vinculis. — II. A periculis. — III. A miseriis. — IV. Transfert ad vitam meliorem. — V. Resurgere facit cum fœnore.

THEMA.

potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?
Matth. XX.

Colimus hoc die apostolum Jacobum, sanctum, optatissimum et vulgo nominatissimum, qui secum affert et quodammodo in manu gerit falcum illam messoriam, qua fruges in his partibus circa tempus istud demeti consueverunt. Verum præ-

ter istum video alium quemdam quasi a tergo stantem (Apoc. XIV.) similem Filio hominis, qui et ipse in manu sua falcum acutum gerit, param ad metendum, quæ alia non est, quam mors, qua sensim mortales Christus demetit et ad judicium sui aream ventilandos congregat. Hanc porro falcum Christus ostentat et intentat in hoc. evang. non modo suis discipulis, sed et nobis quoque, cum ait: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* id est, mortem subire, quam ego subiurus, quasi dicere velit: Quid si ego venero cum falce mea, paratine vos eritis ad eam excipiendo? Alius hic falciger, a priore longe diversus est. Illum omnes desiderant et avide exspectant: hunc pene omnes fugiunt et procul abesse cupiunt. Segetem volunt meti, ipsi nolunt demeti. Sed quæ vobis mens, auditores? Quid si hodie vel cras? Quid si hac vel sequente hebdomade, hoc vel sequente anno veniat ad vos hic messor et immitat in vos falcum suum acutum, ac propinnet vobis calicem suum? Poteritisne bibere illum? An potius refugietis? At nihil illud proderit: *Quo enim a facie tua fugiam?* ait psalmista. Nihil ergo melius, quam ut cum duobus discipulis dicamus: *Possumus,* parati ad tuam falcum excipiendo, ad tuum calicem hauriendum sumus. Hæc si nobis mens perpetuo insideat, lœta nobis et felix erit etiam ista messis. Quam ut consequamur, videamus rationes, cur non formidanda sit.

I. Si loqui possent segetes, existimo dicturas, nequaquam se horrere falcum, sed potius optare. Primo, quia ejus beneficio dicent, liberabimur a vinculo, quo veluti captiæ affigimur his agris. Radix enim nostra terræ nos affigit; falk inde nos liberabit, tam ingrediemur pagos, urbes, horrea, feremur in mensas divitum. Eadem prorsus nostra conditio est. In mundo et in corpore captiæ detinemur, vinculo carnis, necnon patriæ et domicili nostri alligati. E mundo egredi non possumus, nescimus quid extra illum sit, quod tamen mens esse cupit, e patria e domicilio nostro vix modicum egredimur, quin statim revertamur: unde nescimus quid in aliis terris agatur. Summa; uti segetes summis tantum capitibus non nihil hinc inde ventilantur, interim tamen eodem corpore loco hærent: ita et nos in mundo et corpore mortali, quæ aliud non sunt, nisi cancer quidam, de quo liberari desiderabat apostolus ad Philip. I. scribens: *Desiderium habeo dissolvi et esse cum Christo:* dissolvi scilicet vinculo, quo anima in hac vita corpori alligatur, quasi luteæ suæ domui. Unde S. Greg. IV. mor. cap. XLI. *Dissolvi,* inquit, *Paulus non quereret, nisi se vincum videret.* Quis autem vincum se agnosceret,